



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

S. Angelus Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Angeli Martyris,  
Carmelitæ omnium virtutum, gratia-  
rum & scientiarum genere con-  
spicui.

## EXHORTATIUNCULA I.

**A**ngelus! ô gloriosum Nomen! hoc  
dedit Maria, ut disceret, quî vive-  
ret in sæculo nequam. Et profectò vi-  
xit ut Angelus, & mortuus est, ut Mar-  
tyr invictus. Fili! si nomen nobis desit,  
adsit tamen actio, & opus Angeli. Ec  
quale illud? Inspiciamus, & ubique vi-  
vamus ut *nuntius Dei*, nuntius in verbis,  
nuntius in præclaris vitæ exemplis.

*Instructio meritoria.*

Pro sacra Carmelitana familia, ut plu-  
res ejusmodi depravato sæculo generet  
marianos angelos, offeramus *Cursum*  
*Marianum* cum sacrificio, & omnibus  
diei exercitiis, ac virtutum actibus, quos  
inter 12. actus angelicæ modestiæ v. g.  
nullam aspiciendo fæminam. Procul  
ab igne cum stipula!

II. Vi-

## II.

**V**ictima cecidit pro Deo cruenta hic  
S. Angelus. Quis adornavit? Impu-  
purus, quem sceleris arguens, ad poeni-  
tentiam suaviter invitavit. Fili! Quis  
pertinacius impurè viventibus? Verùm  
cæci sunt. Sinamus, & nos cum S. An-  
gelo puritatem cordis defendamus.  
Hæc sola si comes fuerit, ad tumulum  
nostrum probabit Martyrium. Non  
enim idè *laudabilis virginitas; Quis  
in martyribus reperitur: Sed quia ipse  
martyres facit.* S. Ambrosius.

*Instructio meritoria.*

Renovemus hodie vota solemnia, &  
gratias agendo pro S. Confessione jur-  
gamus Ambrosianum Canticum: *Te  
Deum Laudamus.* Et cuilibet voto  
tres actus reflexè exercendos donemus.  
Actus perficiunt habitum? Et exerciti-  
um reddit aliquem sanctum. Sine his  
nihil.

## III.

**C**onfossus ad triplicem aureolam vo-  
catur, animamque sub specie Co-  
lumbæ efflat candidissimæ, cujus & pa-

liô sex mortui resurgunt ad vitam. Tanti est, vivere, & mori ut Angelum. Fili! desuntne nobis media? Habemus certè in abundantia. Deus quoque non deest. Quis? vel quid ergò? Nemo nisi sibi homo. Nunquid? quia vult piger, & non vult. O pigritiam, non columbis, sed corvis propriam! verùm qualis vita, mors est ita.

*Instructio meritoria.*

Memoria mortis reddit hanc suavissimam. Igitur hodie pro nobis ipsis quasi jam jam agonizantibus persolvamus flexis humiliter genibus coram Crucifixo, aut Sanctissimo commendationem animæ, addendo & communionem spiritualem. Nunquam moritur, qui mori semper paratus.

Festum S. Joannis ante Portam  
Latinam.

EXHORTATIUNCULA I.

**C**alix Domini, calix afflictionis, & crucis nos terret plerumque, ne vivamus ut perfecti Christi discipuli. Fili! cæci nimis adhuc sumus, quia præ-  
P mia,